

3. Præterea. Ille melius videt à quo magis remouentur impedimenta visionis. Sed in nullo remanebit aliquid visionis impedimentum. Ergo omnes æqualiter videbunt.

4. Præterea. Omnes Sancti videbunt Deum sicut est: I. Joan. 111. Sed non potest melius videri quam sit. Ergo unus alio non melius videbit.

5. Præterea. Optimus modus cognoscendi Deum est quo videtur per essentiam. Sed optimo non potest esse melius. Ergo videntium Deum per essentiam unus alio melius non videt.

Sed contra. Homines assumuntur ad sortes Angelorum. Sed superiores Angeli Deum clarius vident quam inferiores, ut patet per Dionysium in cæl. Hier. c. v. viii. & x. Ergo & hominum in gloria quidam aliis clarius videbunt.

Præterea. In visione Dei consistit essentialiter hominis beatitudo. Sed quidam aliis beatiore erunt, ut supra dictum est. Ergo quidam aliis clarius videbunt.

Præterea. In lumine gloriæ Deus à Sanctis videbitur, sicut dicitur in Psalm. xxxv. 10. *In lumine tuo videbimus lumen.* Sed quidam aliis majori lumine replebuntur. Sicut enim stella differt à stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum, ut dicitur I. Corinth. xv. Claritas autem corporis claritatem indicabit mentis. Ergo quidam clarius videbunt Deum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum principium actionis sit forma qua agitur, oportet ex parte ejus sumi actionis mensuram; aliter autem in formis subsistentibus quam in aliis formis, ut prius dictum est. In aliis enim formis est quantitas fortitudinis in actione secundum quantitatem ejus quod receptum est de forma in subiecto, ut de calore in calido; in formis autem subsistentibus, secundum quod subiectum subditur formæ magis vel minus. Potentia autem cognoscitiva subditur formæ qua cognoscit, secundum hoc quod habet virtutem cognoscendi. Illud enim quod facit visum potentem ad videndum est quod facit eum receptivum similitudinis coloris. Sicut autem intellectus possibilis per lumen naturale intellectus agens fit cognoscitivus naturalium cognoscibilium, ita per lumen gloriæ superadditum fit visivus divinæ essentiæ: unde secundum quantitatem recepti luminis accipitur modus quo substat intellectus noster essentiæ divinæ, ut formæ intelligibili, & per consequens modus perfectionis in operatione, cujus talis forma est principium, scilicet in visione Dei per essentiam: & ideo cum quidam Sancti aliis majori lumine gloriæ repleantur, quidam aliis clarius videbunt.

Ad primum ergo dicendum, quod unus alio non potest aliquid idem magis intelligere, si ly magis importat modum qui est ex parte intellecti. Non enim potest esse ut aliquis intelligat rem, nisi intelligendo rem habere illum modum quem habet: si enim alium modum rei attribuat, errat, & non intelligit: & sic intelligit Augustinus. Sed si ly magis dicat modum qui est ex parte intelligentis, sic unus alio melius potest intelligere, in quantum est limpidiore ejus cognitio de uno & eodem cognoscibili.

Ad secundum dicendum, quod quamvis in intellectu unus Sancti non sit expressior similitudo Dei qua ipsum cognoscit, quam in alio, quia quilibet

EX EDIT. P. NICOLAI. (a) Lib. IV. Dial. cap. xxxi. 11.

per essentiam suam Deum videt: tamen intellectus unius perfectius substat formæ qua intelligit, quam intellectus alterius; & ita unus alio perfectius intelligit.

Ad tertium dicendum, quod intensio secundum quam aliquid dicitur magis & minus, non solum causatur per recessum à contrario, non sed etiam per accessum ad terminum, sicut patet in intensioe lucis corporalis: & sic etiam lumen spirituale intenditur in uno beatorum magis quam in alio per majorem assimilationem ad Deum, quamvis in nullo inveniatur aliquid contrarium illi lumini.

Ad quartum dicendum, quod cum dicitur, Omnes Sancti videbunt Deum sicut est, ly sicut importat modum qui est ex parte visi, non qui sit ex parte videntis. Quilibet enim videbit Deum esse eo modo quo est; sed tamen modus videntis non erit æqualis modo rei visæ, sed in infinitum distans; & ita modus unius videntis potest esse minus distans quam modus alterius.

Ad quintum dicendum, quod videre Deum per essentiam est perfectissimus modus cognoscendi Deum secundum genus; sed tamen in hoc genere potest majus & minus inveniri, sicut ignis est subtilissimus corporum specie; & tamen unus ignis alio subtilior invenitur.

ARTICULUS V.

Utrum Sancti videntes Deum per essentiam omnia videant quæ Deus in seipso videt.

I. P. q. xii. art. 8. III. cont. Gent. cap. lxx. & de ver. q. viii. art. 4.

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod Sancti videntes Deum per essentiam, omnia videant quæ Deus in seipso videt. Quia, ut ait Isidorus in Lib. de summo bono, I. cap. xii. §. xvii. Angeli in Verbo Dei omnia sciunt antequam fiant. Sed Sancti Angelis æquales erunt, ut patet Matth. xxi. Ergo & Sancti videntes Deum omnia videbunt.

2. Præterea. Gregorius dicit (a) Lib. II. Moral. cap. 111. *Quia illic omnes communem claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, ut scientem omnia sciunt?* Loquitur autem de beatis qui vident Deum per essentiam. Ergo qui videt Deum per essentiam, omnia cognoscit.

3. Præterea. Sicut dicitur in III. de Anima, text. vii. intellectus, cum intelligit maxima, magis intelligere potest & minima. Sed maximum intelligibile est Deus. Ergo maxime auget virtutem intellectus in intelligendo: ergo intellectus Deum videns, omnia intelligit.

4. Præterea. Intellectus non impeditur ab intelligendo aliquid, nisi in quantum illud superat ipsum. Sed intellectum Deum videntem nulla creatura superat: quia, ut dicit Gregorius in II. Dial. cap. xxxv. *anima videnti Creatorem angusta fit omnis creatura.* Ergo videntes Deum per essentiam omnia cognoscunt.

5. Præterea. Omnis potentia passiva quæ est non reducta ad actum, est imperfecta. Sed in possibili intellectu animæ humanæ est potentia quasi passiva ad cognoscendum omnia: quia intellectus possibilis est quo est omnia fieri, ut dicitur in III. de Anima, text. xviii. Si ergo in illa beatitudine non intelligeret omnia, remaneret imperfectus; quod est absurdum.

Præ-

6. Præterea. Quicumque videt speculam, videt ea quæ in speculo resultant. Sed in Verbo Dei omnia sicut in speculo resultant: quia ipsum est ratio, & similitudo omnium. Ergo Sancti qui vident Verbum per essentiam, vident omnia creata.

7. Præterea. Ut dicitur Prover. cap. x. 24. *Desiderium suum justis dabitur.* Sed Sancti desiderant omnia scire, quia omnes homines natura scire desiderant (ut in princ. Metaph.) nec natura per gloriam auferunt. Ergo dabitur eis à Deo quod omnia cognoscant.

8. Præterea. Ignorantia est quædam poenalis præsentis vitæ. Sed omnis poenalitas à Sanctis per gloriam auferetur. Ergo & omnis ignorantia; & ita omnia cognoscunt.

9. Præterea. Beatitudo Sanctorum per primum est in anima quam in corpore. Sed corpora Sanctorum reformabuntur in gloriam ad similitudinem corporis Christi, ut patet Philip. 111. Ergo & animæ perfecti fuerint ad similitudinem animæ Christi. Sed anima Christi in Verbo omnia videt, ut in III. Lib. disticti xiv. (q. 1. art. 2. quæstion. 2.) dictum est. Ergo & omnes animæ Sanctorum videbunt omnia in Verbo.

10. Præterea. Sicut sensus, ita & intellectus cognoscit omne illud in cuius similitudinem informatur. Sed divina essentia expressius indicat quamlibet rem quam aliqua alia similitudo rei. Ergo cum in illa beata visione essentia divina fiat quasi forma intellectus nostri, videtur quod Sancti videntes Deum omnia videant.

11. Præterea. Commentator dicit in III. de Anima, comm. xxxvi. quod si intellectus agens esset forma intellectus possibilis, intelligeremus omnia. Sed divina essentia clarius representat omnia quam intellectus agens. Ergo intellectus videns Deum per essentiam cognoscit omnia.

12. Præterea. Propter hoc quod inferiores Angeli nunc non omnia cognoscant, illuminantur de ignotis à superioribus. Sed post diem iudicii Angelus non illuminabit Angelum: tunc enim omnis prælatio cessabit, ut dicit Glossa I. Corinth. xv. vers. 24. Ergo inferiores Angeli tunc omnia scient, & eadem ratione omnes alii Sancti Deum per essentiam videntes.

Sed contra. Sicut dicit Dionysius in viii. cap. celest. Hier. Angeli superiores inferiores à nescientia purgant. Angeli autem inferiores vident essentiam divinam. Ergo Angelus videns essentiam divinam (1) potest aliqua nescire. Sed anima non perfectius videbit Deum quam Angelus. Ergo animæ videntes Deum non oportet quod omnia videant.

Præterea. Solus Christus habet spiritum non ad mensuram, ut dicitur Joan. 111. Sed Christo, in quantum habet spiritum non ad mensuram, competit quod omnia in Verbo cognoscat: unde ibidem dicitur, quod Pater omnia dedit in manu ejus. Ergo nulli alii competit omnia cognoscere in Verbo nisi Christo.

Præterea. Quanto aliquod principium perfectius cognoscitur, tanto plures effectus ejus cognoscuntur per ipsum. Sed quidam videntium Deum per essentiam perfectius aliis cognoscunt Deum, qui est rerum omnium principium. Ergo quidam aliis plura cognoscunt; & ita non omnes scient omnia.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod Dens videndo suam

(1) Al. non potest. (2) Al. in anima. (3) Al. non proficiet.

essentiam cognoscit omnia quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt; & hoc dicitur cognoscere notitia visionis, quæ ad similitudinem visionis corporalis cognoscit ea quasi præsentia. Cognoscit insuper videndo essentiam suam omnia quæ potest facere, quamvis numquam fecerit, vel facturus sit; alias non perfecte cognosceret potentiam suam; non enim potest cognosci potentia, nisi sciatur potentia objecta; & hoc dicitur cognoscere notitia simplicis intelligentiæ. Impossibile est autem quod aliquis intellectus creatus cognoscat omnia videndo essentiam divinam quæ Deus potest facere; quia quanto aliquod principium perfectius cognoscitur, tanto plura sciuntur in ipso; sicut in uno demonstrationis principio ille qui est perspicacioris ingenii, plures conclusiones videt quam alius qui est ingenii tardioris. Cum ergo quantitas potentia divinæ attendatur secundum ea in quæ potest, si aliquis intellectus videret in divina essentia omnia quæ Deus potest facere, eadem esset quantitas perfectionis in intelligendo quæ est quantitas divinæ potentia in produciendo effectus; & ita comprehenderet divinam essentiam; quod est impossibile omni creato intellectui. Illa autem omnia quæ Deus scit notitia visionis, à aliquo intellectu creatus cognoscit in Verbo, scilicet (1) anima Christi, ut in III. Lib. disticti xiv. dictum est.

Sed de aliis videntibus divinam essentiam est duplex opinio: quorundam opinio est, quod omnes videntes Deum per essentiam vident omnia quæ Deus videt scientia visionis. Sed hoc repugnat Sanctorum dictis, qui ponunt Angelos aliqua ignorare; quos tamen constat secundum fidem omnes Deum per essentiam videre.

Et ideo alii dicunt, quod alii à Christo, quamvis videant Deum per essentiam, non tamen vident omnia quæ Deus videt, eo quod essentiam divinam non comprehendunt. Non est enim necessarium quod sciens causam, sciat omnes ejus effectus, nisi causam comprehendat; quod non competit intellectui creato: & ideo unusquisque videntium Deum per essentiam tanto plura in ejus essentia conspiciat, quanto clarius divinam essentiam intuetur: & inde est quod de his potest unus alium instruere; & sic scientia Angelorum, & animarum Sanctorum potest augeri usque ad diem iudicii, sicut & alia quæ ad præmiam accidentale pertinent. Sed ulterius (3) non proficiet: quia tunc erit ultimus status rerum, & in illo statu possibile erit quod omnes omnia cognoscant quæ Dens scientia visionis novit.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc quod dicit Isidorus quod sciunt Angeli in Verbo omnia antequam fiant, non potest referri ad illa quæ Deus scit scientia simplicis intelligentiæ tantum, quia illa nunquam fient; sed referendum est ad ea tantum quæ Deus scit scientia visionis, de quibus etiam dicit, quod non omnes Angeli ea omnia cognoscant, sed forte aliqui; & illi etiam qui cognoscunt, non perfecte omnia cognoscunt. In una enim re est multas rationes intelligibiles considerare, sicut diversas ejus proprietates, & habitudines ad res alias; & possibile est quod eadem re scita communiter à duobus, unus alio plures rationes percipiat, & has rationes unus ab alio accipiat: unde & Dionysius dicit vii. cap. de divinis Nominibus quod inferiores Angeli docentur à superioribus rerum scibiles rationes: & ideo etiam Angeli qui omnes creaturas cognoscunt, non oportet

(1) Al. non potest. (2) Al. in anima. (3) Al. non proficiet.



ter quod omnia quae in eis intelligi possunt, participent.

Ad secundum dicendum, quod ex verbo illo Gregorius ostenditur, quod in illa beata visione est sufficientia ad omnia intuenda ex parte divinae essentiae, quae est medium quo videtur, per quam Deus omnia videt; sed quod non omnia videantur, est ex defectu intellectus creati, qui divinam essentiam non comprehendit.

Ad tertium dicendum, quod intellectus creatus non videt divinam essentiam secundum modum ipsius essentiae, sed secundum modum proprium, qui finitus est: unde non oportet quod ejus efficacia in cognoscendo ex visione praedicta ampliatur in infinitum ad omnia cognoscendum.

Ad quartum dicendum, quod defectus cognitionis non solum procedit ex excessu, & defectu cognoscibilis super intellectum, sed etiam ex hoc quod intellectui non conjungitur id quod est ratio conjungibilis; sicut visus non videt lapidem quandoque ex hoc quod species lapidis non est ei conjuncta. Quamvis autem intellectui videntis Deum conjungatur ipsa divina essentia, quae est omnium ratio; non tamen conjungitur ei prout est omnium ratio, sed secundum quod est ratio aliquorum, & tanto plurium, quanto quisque plenius divinam essentiam intuetur.

Ad quintum dicendum, quod quando potentia passiva est perfectibilis pluribus perfectionibus ordinariis, si perfecta sit sua ultima perfectione, non dicitur imperfecta, etiam si aliqua dispositiones praecedentes ei desint. Omnis autem cognitio qua intellectus creatus perficitur, ordinatur sicut ad finem ad Dei cognitionem. Unde videns Deum per essentiam, etiam si nihil aliud cognosceret, perfectum intellectum haberet; nec est perfectior ex hoc quod aliquid aliud cum ipso cognoscit, nisi quatenus ipsum plenius videt. Unde Augustinus in V. Confess. cap. 1v. *Infelix homo qui scit omnia illa, scilicet creaturas, te autem nescit; beatus autem qui te scit, etiam si illa nesciat. Qui vero te, & illa novit, non propter illa beator, sed propter te tantum beatus.*

Ad sextum dicendum, quod speculum illud est voluntarium, & sicut se ostendet cui vult, ita in se ostendet quae vult: nec est simile de speculo materiali, in cuius potestate non est quod videatur, vel non videatur. Unde dicendum, quod in speculo materiali tam res, quam speculum videntur sub propria forma, quamvis speculum illud videatur per formam receptam, lapis vero per formam propriam resultantem in re alia: & ideo per quam rationem cognoscitur unum, & aliud. Sed in speculo increato videtur aliquid per formam ipsius speculi, sicut effectus videtur per similitudinem causae, & de converso; & ideo non oportet quod quicumque videt speculum aeternum, videat omnia quae in speculo resultant: non enim necesse est quod videns causam, videat omnes effectus ejus, nisi comprehendat causam.

Ad septimum dicendum, quod Sanctorum desiderium, quo omnia scire desiderant, implebitur ex hoc solum quod Deum videbunt; sicut desiderium eorum, quo omnia bona habere cupiunt, complebitur in hoc quod Deum habebunt. Sicut enim Deus in hoc quod habet perfectam bonitatem, sufficit affectui, & eo habito omnia bona quodammodo habentur; ita ejus visio sufficit intellectui. Joann. xlv. 8. *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.*

(1) Al. quod similiter. (2) Al. mysteria.

Ad octavum dicendum, quod ignorantia proprie accepta in privationem sonat; & sic poena est: sic enim ignorantia est nescientia aliquorum quae sciri debent, vel quae necesse est scire. Nullus autem eorum scientia Sanctis deerit in patria. Quandoque autem ignorantia accipitur communiter pro omni nescientia; & sic Angeli, & Sancti in patria quaedam ignorabunt: unde Dionysius dicit de coel. Hierarch. cap. vii. quod Angeli a nescientia purgantur. Sic autem ignorantia non est poenitentia, sed defectus quidam. Sic autem nec est necesse quod omnis talis defectus per gloriam auferatur; sic enim etiam posset dici, quod defectus est in Lino; quod non pervenit ad gloriam Petri.

Ad nonum dicendum, quod corpus nostrum conformabitur corpori Christi in gloria secundum similitudinem, non secundum aequalitatem: erit enim clarum sicut & corpus Christi, sed non aequaliter. Et similiter anima nostra habebit gloriam ad similitudinem animae Christi, sed non ad aequalitatem: & ita habebit scientiam sicut anima Christi, sed non tantam, scilicet ut sciat omnia, sicut anima Christi.

Ad decimum dicendum, quod quamvis essentia divina sit ratio omnium cognoscibilium, non tamen conjungetur cuilibet intellectui creato, secundum quod est ratio omnium; & ideo ratio non sequitur.

Ad undecimum dicendum, quod intellectus agens est forma proportionata intellectui possibili, sicut etiam potentia materiae est proportionata potentiae agentis naturalis; ut omne quod est in potentia passiva materiae, vel intellectus possibilis, sit in potentia activa intellectus agentis, vel naturalis agentis: & ideo si intellectus agens fuerit forma intellectus possibilis, oportet quod intellectus possibilis cognoscat omnia ad quae se extendit virtus intellectus agentis. Divina autem essentia non est forma hoc modo intellectui nostro proportionata: & ideo non est simile.

Ad duodecimum dicendum, quod nihil prohibet dicere, quod post diem iudicii, quando gloria hominum, & Angelorum erit penitus consummata, omnes beati scient omnia quae Deus scientia visionis novit, ita tamen quod non omnes omnia videant in essentia divina; sed anima Christi ibi plene videbit omnia, sicut & nunc videt; alii autem videbunt ibi plura, vel pauciora secundum gradum quo Deum cognoscent; & sic anima Christi de his quae praeter alios videt in Verbo, omnes alias illuminabit: unde dicitur Apoc. xxi. quod claritas Dei illuminat civitatem beatorum, & lucerna ejus est agnus: (1) & similiter Angeli superiores illuminabunt inferiores, non quidem nova illuminatione, ut scientia inferiorum per hoc augeatur, sed quadam continuatione illuminationis; sicut si intelligatur quod sol quiescens illuminat aera; & ideo dicitur Dan. xii. 3. *quod qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates.* Praelatio autem ordinis dicitur cessatura quantum ad ea quae nunc circa nos per eorum ordinata (2) ministeria exercentur, ut patet etiam per Glossam ibidem.

(1) Al. quod similiter. (2) Al. mysteria.

ARTICULUS VI.

Utrum aliquis intellectus creatus ex propriis naturalibus possit Deum per essentiam videre.

I. P. quest. xii. art. 4. III. contra Gent. cap. lxi. de ver. quest. 11. art. 3. & 1. 2. quest. v.

1. Ad sextum sic proceditur. Videtur quod aliquis intellectus creatus ex propriis naturalibus possit Deum per essentiam videre. Secundum enim multorum opinionem, Angeli in solis naturalibus creati sunt. Sed Angeli in principio suae creationis viderunt res in Verbo, ut dicit Augustinus super Gen. ad litteram, Lib. II. cap. viii. & haec dicitur (3) eorum cogitatio matutina. Ergo aliquis intellectus creatus ex propriis naturalibus Deum per essentiam videre potest.

2. Praeterea. Boni Angeli, & mali non communicant nisi in naturalibus. Sed Angeli mali vident Deum per essentiam: quod patet ex hoc quod habetur Job 1. & 11. *Cum assisterent filii Dei, affuit etiam inter eos Satan.* Assistentes autem nominantur Angeli secundum Gregorium, Lib. I. Moral. cap. 11. & 111. qui intima contemplatione perficiuntur. Ergo Angeli ex propriis naturalibus Deum per essentiam videre possunt.

3. Praeterea. Ille qui potest videre illud quod est minus intelligibile, potest videre illud quod est magis intelligibile, ut Commentator dicit in III. de anima, comm. vii. Sed divina essentia est magis intelligibilis quam ista materialia, quae non sunt intelligibilia, nisi quia nos facimus ea esse intelligibilia; ipse autem Deus, cum omnino sit a materia immunis, per seipsum est intelligibilis. Cum ergo nos videamus ex propriis naturalibus creaturas materiales, videtur multo fortius quod ex propriis naturalibus Deum per essentiam videre possimus; & praecipue hoc videtur de Angelis.

4. Praeterea. Ut dicitur in III. de Anima, text. 111. *sicut habet se visus ad visibile, ita se habet intellectus ad intelligibile.* Sed visus non impeditur a visione nisi aliquo quatuor modorum. Uno modo propter corruptionem visus, scilicet quando est aliqua macula in pupilla: quod non potest dici de intellectu angelico etiam in statu naturalium, quia sunt specula munda, & clarissima, ut Dionysius dicit in iv. cap. de div. Nom. Alio modo propter absentiam visibilis: nec hoc potest dici in proposito, quia Deus est praesens omni intellectui, quia omnia implet. Tertio modo ex hoc quod visibile non est visibile in actu, sicut colores in tenebris: non enim fiunt visibiles actu nisi per lucem: quod etiam in proposito dici non potest, quia ipse Deus per seipsum visibilis est, cum sit lux intelligibilis, ut patet Joan. 1. Quarto modo per excellentiam objecti, quod corrumpit sensum: nec hoc in proposito locum habet: excellentiae enim intelligibilium non corrumpunt intellectum, sicut excellentiae sensibilium corrumpunt sensum, ut dicitur in III. de Anima, text. vii. Ergo nihil est quod impediatur, quin aliquis intellectus creatus ex propriis naturalibus Deum videre possit per essentiam.

5. Praeterea. Unumquodque cognoscitur per suam similitudinem. Sed Angelus secundum propriam naturam est expressa similitudo ipsius Dei, ut dicit Dio-

(3) Al. rerum. (4) In editis deest non. (5) Vulgata, erit.

nysius in iv. cap. de div. Nom. quod Angelus est *imago Dei, manifestatio oculi luminis*, scilicet divini. Ergo Angelus per propriam naturam potest Deum per essentiam videre.

6. Praeterea. In Lib. de causis, pros. x. dicitur, quod omnis intelligentia intelligit quod est supra se, in quantum est causatum ab eo. Sed quilibet intellectus creatus secundum naturam suam est causatus a Deo. Ergo secundum sua naturalia potest Deum per essentiam videre.

7. Praeterea. Ad immensitatem divinae liberalitatis pertinet ut creaturae communicet omne id cuius ipsa est capax. Sed creatura est capax hujus muneris quod ex propriis naturalibus Deum per essentiam videre possit: ad hoc enim quod Deum per essentiam videat potest pertingere per lumen gloriae; quod quidem lumen sicut est natura superadditum, ita posset esse a Deo natura inditum. Ergo alicui creaturae est collatum quod ex propriis naturalibus pertingat ad videndum Deum per essentiam.

8. Praeterea. Commentator dicit in principio IX. Metaph. II. Metaph. comm. 1. in fine, quod si aliquid esset intelligibile, a nullo intellectu intellectum, illud intelligibile esset frustra. Sed absurdum est dicere, quod divina essentia sit frustra intelligibilis. Ergo aliquis intellectus per suam naturam potest ipsam videre.

Sed contra Rom. vi. 23. dicitur: *Gratia Dei vita aeterna.* Sed videre Deum per essentiam est vita aeterna, ut patet Joan. xvii. 3. *Hac est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Ergo ad videndum Deum per essentiam non potest perveniri nisi per gratiam.

Praeterea. Ad illud quod reddiit charitati in praemium, non potest perveniri per naturalia, cum etiam ipsa charitas sit supra naturam. Sed visio Dei per essentiam redditur charitati in praemium, ut patet Joan. xiv. 21. *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, & ego manifestabo ei meipsum.* Ergo ad videndum Deum per essentiam (4) non potest ex propriis naturalibus intellectus creatus pervenire.

Praeterea. Natura cum gratia est fortior quam natura solum. Sed Sancti in limbo existentes, quamvis gratiam habent, non viderunt Deum per essentiam: unde in eorum persona dicitur Tob. v. 12. *Quale mihi gaudium (5) est, qui in tenebris sedeo, & lumen caeli non video?* Ergo multo minus ex puris naturalibus aliquis ad hoc pertingere potest.

Praeterea. Secundum ordinem effectuum est & ordo causarum: nobilioris enim effectus nobilior est causa. Sed inter omnia quae possunt purae creaturae praestari, hoc est maximum, ut Deum per essentiam videat. Ergo hujus causa non potest esse natura, sed solum Deus, qui est summa omnium causa.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ad hoc quod intellectus Deum per essentiam videat, oportet quod essentia divina uniatur intellectui nostro quodammodo ut forma intelligibilis. Forma autem non conjungitur perfectibili, nisi quando perfectibile habet dispositiones quibus efficitur susceptivum talis formae; sicut corpus non uniatur animae, nisi quando in corpore sunt dispositiones convenientes ad animam suscipiendam. Unde oportet ad hoc quod intellectus uniatur essentiae divinae modo praedicto, quod sit in eo

Xx ali-